

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Specimen Pharmacopoeae Militaris Franco-Gallicae

Handel, Georg Theodor Christoph

Argentorati, [1797]

VD18 11681020

Praemonenda Quaedam.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11735

PRAEMONENDA QUÆDAM.

Nata est tanta medicamentorum sylva, qua nihil ad distinendam aegrotantium salutem et ad praxeos rationalis efficacisque incrementum deterius inveniri potest remorandum. Nam profecto, sub tanto medicamentorum numero, quibus tempore nostro pharmacopolia referta et plane onusta sunt, genuini et proprii cujusvis effectus et operationes in tot differentibus naturis, morbis eorumque caussis recte haberi et cognosci non poterunt; neque etiam unquam cognitio intimior subsequetur, aut virium exploratio, cum successu molienda, nisi prius ad pauciores et selectiores numerum redigatur apparatus innumerabilis remediorum.

Hac de re medici, præprimis illi, manus qui porrigunt auxiliatrices aegro-

tis in nosocomiis detentis militaribus, quantum fieri potest, pauca praescribant, simplicia adhibeant, vilia pretii aere magno venditis, securia quotidianoque usu familiaria incertis minusque usitatis, efficacia inertibus effoetisque, novis recenterque conditis longa serie observationum fidelium et conscientosarum comprobata praeferant, opportuneque omnia exhibeant.

Ab eo enim curati sanitas, quo viribus aegrotantis et agenti et patienti naturae cito, tuto et jucunde consulitur.

Omni medicinae sua sit amaritudo; sanitas vero dolore saltem redimatur.

E morbo quis adsurgit et inculpatus in morbum recidit? Sanatum hunc fuisse, non credideris!

Diuturnior, quam par est, morbus si fuerit; aegrotus in dies si de cura imbecillior, medicus peritiae diffidat suae. Raro enim sanabit, quos diutule curabit. Hinc prolixiori languore gravari; levem vero breviter praecidere, dicitur.

Non medicaminum sapore, sed, infrequenti mitiorum usu, jucundari curatum, dicimus.

Oneratae naturae nova hic imponit onera; ille, dum agenti semper acquiescit, vel opem efflagitanti caute succurrit.

In praescribendis, tum alimentis, tum medicamentis, aetatis, circumstantiarum etc. habeatur ratio.

Non semper eadem medicata potione similibus morbis subveniendum; nec semper sectione et ustione curandum.

Sola victus ordinatione, tranquillitate animi, quiete et cura circumspecta corporis saepius arcetur aut profligatur aegritudo.

Sunt, quibus ex celeri morborum discretionem celeriter succurras; sunt tandem, quos strenuo doloribus liberes auxilio.

In acutis pariter et chronicis, morborum temporibus emensis omnibus, medicationibusque variis constanter aptatis, vires si non firmentur, vel legitima ciborum appetentia si desit, curationem habeto suspectam. Culpam hanc non suscipiet aeger, quam in medicum non immeritam aliquando contulerit.

Opitulatur brevi, principiis qui obstat, non qui temere tentat.

Quanquam enim tibi fortuito illud interdum eveniat, quod optare non audeas; agentem naturam demirari, nec inde superbias, unde mox gravi flagrares infamia.

Medendi non datur norma universalior, quasdam quae non admittat exceptiones. In uno vires laeduntur, per quod in altero firmantur. Id proinde praesta, quod ratio dictat, modo experientia non arguat; laudem tamen deneget illis, qui, quolibet in morbo, veterum quorundam more, curae partem segniter aegrorum naturae committunt maximam, atque tunc, excepta diaeta, quam adcurate regunt, spectatores sunt tantum pugnae, quam inter naturam, fabulantur, et morbum excitari; sicque arbitri sunt victoriae, nunc morbo, nunc naturae cedentis.

In medicinae summam proficit tamen, qui, naturae minister, insidiosos removere novit obices, quasi doloris impedimenta potius, quam remedia suppeditans.

Aegroti cupiditates, arti saepius ob-
sistantes, observet; amicus solamen ad-
laturus salutiferum; non cathartico so-
lida concussurus; in orgasmum fluida
non adducturus. In aegrotantium ani-
mos influat; animi pathematum exitus
scrutans et expendens; tunc in ipsa, tum
religione naturali, tum ratione, saluber-
rimum fontem deteget, armamentario
praeponendum medicinali. Multi morbi
medicamentis vincuntur, quos ingeniosa
superassent consilia. Ira, quot affectio-
nes; amore quot adfectus importantur?
Humaniori praesertim animo, quotuplex
incommodum? Animum ne medicami-
nibus flecti judicaveris; solers accedat
humanitas; mature subrepet sanitas.

Ab istis tamen affectionibus, ubi
partes variae, variaque viscera labem
contraxerint, amotis, uti dictum est,
caussis; effectibus invigilandum debellan-
dis. Sed non sanabis, nisi sauciaveris!

Interim ea, quae hactenus proposui
aureumque Dr. Mederer, medicinae
peritia cum paucis conferendi, scrip-

B

tum, cui titulus: „ von einer vernünftigen Wirthschaft mit Arzeneyen in Feldhospitälern,“ (de oeconomia rationali quoad medicamenta in nosocomiis castrensibus,) mihi in elaboranda hacce pharmacopoea facem praetulerunt.

Ratio, candidi ingenuique pectoris affectu, quo defensores patriae fortissimos et supra omnes fastos annalesque laudabiles amplector Franco Galliae, voluntas Collegii quod Lutetiae Parisiorum est medici, (cfr. „ pharmacopoee à l'usage des hopitaux militaires,“) philanthropique selectum minorem, minusque speciosum suaserunt.

„ Simplex sigillum veri“ illud Boerhaavianum roburque in praeparatione medicaminum norma fuerunt.

Omnibus, recentior quae aetas modernorumque detexerunt solertia, mentionemque merentur, receptum dedi; mul-

ta autem a variis scriptoribus encomiis quidem celebrata, partim vero, ut scopo contraria nostro aut sumtuosa nimis, partim, ob analogia jam recepta, sedulo omisi.

Meridiana luce cum clarius sit, medicinae cultorem practicae, chemiam pharmaceuticam, materia medicam et formulare bene callentem, formulas quoque componere scire medicinales; carnifex nasutus, barbae rasor curiosus, pharmaceuta ineptus, quidamque non emunctae naris homuncio, (quem sororis cunnus, etc medicum creavit Wiesbadensem; subreptitius ac suppositius nebulo, adulator subdolos, doctorumque eorum dulce decus, de quibus Rejes. „ in camp. Elys. qu. 6. n. 45. dicit, quod asino illo Cumano sint indoctiores, qui chartas vix involvere novit, “) frustra recipe illa, sine quibus necare nequeunt, in opusculo quaerent meo.

Corporum in hisce pagellis occurrentium delineationem medicamentosorum criteriorumque bonitatis ac falsificationis

illorum enarrationem, ut res ad historiam naturalem et materiam pertinentes medicam, sicco fere transii pede.

Auctores, qui de objectis leviter quae tantum tetigi, fusius egerunt, non allegavi; legant litteraturam huc spectantem Baldingeri eruditissimi, (qui ea mihi tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint,) cognitionis plenae prolixiorum et, uti dicunt, ex professo descriptionum, cupidi.

Manum caeteroquin ferulae non ideo subtraxisse, me credo, ut, omni reprehensione me carere, putarem; e contrario hominem me agnosco, humani nihil alienum habentem, et per consequens errare me potuisse, tam in hoc scriptulo, quam alibi, ingenue fateor.

Vitia et errores amice et docte si quis ostendere velit, et amicum et docilem me reperiet; cum plurima gratiarum actione manus illi praebiturum, et obnixi pedibus in sententiam ejus iturum, pollicentem.

Nulla autem mihi pugna cum umbris anonymis et scurris, omnia lascivis et lubricis, hinc inde quoque rusticis adnotationibus proterentibus, erit unquam; quoniam contemptu tacito eorumdem affligere stultiloquia, mihi animus est, ne et ipse fatuus et insanus cum ipsis videar.

P o n d e r a p h a r m a c e u t i c a .

	Libra.	Libra semis,	Uncia	Uncia semis,	Drachma.	Drachma semis.	Scrupulus.	Scrupulus semis.	Grainum.
Granum.	=	=	=	=	=	=	=	=	1
Scrupulus semis.	=	=	=	=	=	=	=	=	10
Scrupulus.	=	=	=	=	=	=	=	=	20
Drachma semis.	=	=	=	=	=	=	=	=	30
Drachma.	=	=	=	=	=	=	=	=	60
Uncia semis.	=	=	=	=	=	=	=	=	240
Uncia.	=	=	=	=	=	=	=	=	480
Libra semis.	=	=	=	=	=	=	=	=	2880
Libra.	=	=	=	=	=	=	=	=	5760